

Quamquam vero haec certissime ita se se habeant, non possum tamen non monere hoc monumentum non pertinere ad aetatem Albini, sed longe recentius esse: Varia enim in eo occurrunt, quae Poetae in arte Historica ignorantiam, qualis in ejusdem aetatis Scriptores non cadit, manifesto produnt. Excutiamus modo versum tertium & quartum, & habebimus tot fere quot verba errores: Quocumque enim modo hos versus explicemus, insignis tamen parachronismi reus erit hujus Epitaphii conditor. Sive enim dicamus auctorem hic annum mortis Albini intelligere, qui ex mente ejus in annum 750. incidit, longissime a via aberrat, siquidem eo anno nec obiit Alcuinus Caroli M. Praeceptor, qui ne quidem hoc tempore Angliam egressus fuerat, nec Albinus Praepositus Hersfeldensis, qui Sec. XI. decessit, nec Albinus Buraburgensis Episcopus, utpote qui adhuc an. 774 vixit, teste Servato Lupo in *vita VVigberti c. 24.* imo ad annum usque 786. superstes fuit, ut §. 16. vidimus. Nec magis ab errore immunem praestabit Epitaphiographum, si ita explicemus: *Nunc* (cum hoc monumentum poneretur) *jacui* per 750. annos hic sepultus, nam hac ratione primum positum fuisset Sec. XVI. ac proin nimis manifesto aevum suum proderet. Praeterea novum esse hoc Epitaphium etiam ex *versu 4.* patet, cujus sensus per obscurus est, sive vulgaram lectionem, sive Editoris emendationem eligamus. Si *fatum* praeferamus, perplexa admodum erit oratio, & vix commoda inde erui potest explicatio. Num ita interpretabimur? Albinum hic anno 750. sepultum Caroli M. res gestas enarrasse. At qua fronte dicere id potuit Epitaphii Auctor. Si enim Albinus defunctus est anno 750. quomodo potuit de Caroli factis loqui, qui tum vix 8. annorum erat, imo de Carolo Caesare creato, quem honorem primum anno 801. obtinuit. Dein si admittamus hanc explicationem, confundit Poeta duos Albinos, nempe